



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XII. De absolutione sacramentali,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

crimis confitemur, angusta vita portam ingredimur: Sed cum post hac ad aeternam vitam perducimur, portam nostram atriis in confessionum laudibus intramus, quia ibi iam angustia non erit, cum nos latitiae perpetuae felicitas exceperit.

DISPUTATIO XII.

De Absolutione Sacramentali.

Expeditis difficultatibus quae spectant ad confessionem sacramentalem, consequens est, ut de absolutione, quae est illius forma & complementum, disseramus, & celebres aliquas difficultates & controversias quae de ipsa agitari solent, breviter ac dilucide resolvamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae verba sint de essentia absolutionis sacramentalis, & formae sacramenti poenitentiae?

§. I.

Quibusdam praemissis, difficultas resolvitur.

Certum est apud omnes, verba antecedentia scilicet *Miserere tui &c. Dominus noster Iesus Christus absolvat te &c.* ac ista subsequencia, *Pater Domini nostri &c.* non esse de essentia absolutionis sacramentalis, nec ad valorem Sacramenti necessaria, licet preces illae utiles ac congruae sint, tum ad exorandam antecedenter divinam misericordiam, tum consequenter ut virtute clavium eleventur omnia opera bona poenitentis, ut illa ex meritis Christi operentur ultra proprium valorem. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 3. ait, de Ecclesia sanctae more, preces illas laudabiliter adiungi. Solum ergo difficultas est circa ista verba: *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, quae a Florentino & Tridentino assignantur pro forma Sacramenti poenitentiae. Durandus enim existimat, omnia illa verba, nullo praetermissio, esse essentialia absolutioni sacramentali, & formae Sacramenti poenitentiae, vel saltem expressam Sanctissimae Trinitatis invocationem. Gabriel asserit, ista, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis*, esse de essentia; Paludanus & Petrus Soto, haec saltem, *Absolvo te a peccatis tuis*. In alio extremo Dominicus Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. §. *Postremum tandem dubium*, sentire videtur, istud verbum, *Absolvo*, solitariè prolatum, ad valorem absolutionis sufficere, quatenus affirmat, in articulo mortis, in quo est periculum ne quis decedat absque beneficio absolutionis, posse Sacerdotem proferre illud verbum, *Absolvo*, animo absolvendi a peccatis, & censuris, & tunc valide absolvere. Demum S. Thomas, & alii Theologi communiter, asserunt formam absolutionis essentialiter salvari in illis verbis, *Ego te absolvo*, imò & in solis istis, *Absolvo te*, suppresso pronomine, *Ego*, utpote quod in verbo primae personae *absolvo*, subintelligitur; unde idem S. Doctor 3. p. qu. 66. art. 3. ad 1. docet illud ad valorem Baptismi non requiri.

2. Dico igitur, Haec sola verba, *Absolvo te*, esse essentialia absolutioni sacramentali, & ad valorem Sacramenti poenitentiae necessaria.

Probatur primò ratione fundamentali: Ea solum verba sunt de essentia formae absolutionis, quae principalem effectum Sacramenti poenitentiae significant: Sed sola ista verba, *Absolvo te*, hoc habent. Ergo illa sola sunt essentialia absolutioni

A sacramentali, & ad valorem Sacramenti poenitentiae necessaria. Major patet, quia effectus Sacramentorum novae legis est significare id quod in illis efficitur: Ergo ea tantum circumstantiae quae sufficient ad significandum effectum Sacramenti. Minor vero suadetur: Verbo quod ad significationem faciendam sunt ex circumstantiis, non habent adjunctas, & secundum quae ex contentu hominum institutione, determinatur ad significandum, ut patet in illa forma Baptismi corrupte prolata: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, quae ex declaratione Zachariae Papae, valida est, eo quod prolata in tribus circumstantiis, ex communium hominum institutione, determinatur ad significandum effectum Sacramenti. Atqui sola ista verba, *Absolvo te*, consideratis omnibus circumstantiis in quibus proferuntur, significant principalem effectum Sacramenti poenitentiae, nam licet in illis circumstantiis sint, ad significandum tam absolutionem a censuris quam a peccatis, prolata tamen signum poenitentiae qui sua peccata confitetur sacerdoti, determinatur ad significandum absolutionem a peccatis, quae est principalis effectus huius Sacramenti.

Probatur secundo conclusio, referendo ad effectus sententias supra adductas. Et in primis quod invocatio Sanctissimae Trinitatis non fit de essentia absolutionis sacramentalis, manifestum videtur, cum in institutione Sacramenti poenitentiae tantum dicatur, *Quorum remisit peccata, remittitur eis*, nec ulla fiat mentio divinarum personarum, sicut in institutione aut precepto Baptismi. Imò valde probabile est, omnem in forma absolutionis invocationem Trinitatis, nequaquam venialiter peccare, cum D. Thomas 3. p. qu. 4. art. 3. ad 3. dicat, *Relinquitur invocatio Trinitatis arbitrio Sacerdotis*, quod non diceret, si non posset Sacerdos sine culpa, saltem veniali, illam praetermittere.

Secundo, quod non debeat necessario poni illa particula, *Omnibus*, constat, tum quia non ponitur in rituali Romano iussu Pauli V. citato, tum etiam, quia poenitens non potest absolvi a uno peccato mortali, quin absolvetur ab omnibus, & de venialibus saepe non fit absolutio, cum poenitens de illis non poeniteat, nec teneatur. Tertio, quod ly *apeccatis*, non fit de essentia absolutionis, patet ex dictis probationibus praecedentibus, nam ut ibi dicebamus, hoc verbum *apeccatis*, sufficere, explicat, ratione circumstantiarum, absolutionem a peccatis, neque necesse est explicare materiam supra quam cadit absolutio sacramentalis, sicut in iudiciis humanis & civilibus. Non debet necessarium sententia exprimitur materiam iudicii: hoc enim ipso quod auditur rei accusatione, & tota causa, Iudex pronuntiat hunc esse innocentem vel reum, satis declarat mentem Iudicis.

Demum quod in solo verbo, *Absolvo*, non exprimitur sufficienter forma absolutionis, non minus certum videtur, cum in ea significati & exprimi debeat, absolutionem cadere super talem personam delinquentem, accusatam, convictam, poenitentem, & confessam talia singularia peccata; unde Christus Joan. 20. dixit, *Quorum remisit peccata &c.* ubi & personam delinquentem, peccata manifestata a poenitente praesentat. Ergo particula *te*, non minus est de essentia formae Sacramenti poenitentiae, quam in forma Sacramenti Baptismi, & Confirmationis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

4. **O**bjicies primò: Florentinum & Tridentinum assignando formam Sacramenti penitentiae, dicunt illam consistere in his verbis: *Ego absolvo te &c.* Ergo sententia aliqua ex verbis sequentibus pertinere essentialiter ad formam absolutionis sacramentalis.

5. Sed nego Consequentiam, ideo enim particulam &c. addiderunt, vel ut abstraherent a controversiis Theologorum qui putant alia etiam verba pertinere ad essentiam huius formae, vel ut significarent sequentia non esse omittenda, quamvis non sint essentialia. Et verò si existimassent illa esse essentialia, non omisissent pauca haec verba, *a peccatis tuis*, cum integram formam Baptismi, et si longiorem, expresserint.

6. **O**bjicies secundo: Ideo in forma Baptismi, & Confirmationis, necessaria est expressio Sanctissimae Trinitatis, quia effectus illorum Sacramentorum causatur principaliter à Deo, & ministerialiter tantum ab homine: At in hoc Sacramento similiter Sacerdos absolvit ut minister Dei: Ergo pariter in forma absolutionis Sacramentalis necessario exprimi debent personae Sanctissimae Trinitatis.

7. **R**espondeo negando causalem Majoris. Ratio enim ob quam in forma Baptismi & Confirmationis necessaria est expressio Sanctissimae Trinitatis, non est ea quam assignat obiectio, alioquin in forma omnium Sacramentorum, deberent tres Personae divinae exprimi, cum in omnibus eadem sit dependentia ministrum à causa principali; sed quia Baptismus inducit hominem ad fidem, cuius praeceptum mysterium est Trinitas, & Confirmatio roborat ad ejus confessionem.

8. **O**bjicies tertio: Illa sunt de essentia formae Sacramenti, sine quibus non significat determinatè effectum Sacramento proprium: Sed sine illis verbis, *a peccatis tuis*, forma Sacramenti penitentiae, *absolvo te*, non significat determinatè effectum ejus; cum haec verba indifferenter sint ad significandum absolutionem à peccatis, vel absolutionem ab excommunicatione & aliis censuris: Ergo verba illa, *a peccatis tuis*, sunt de essentia absolutionis sacramentalis.

9. Huic objectioni patet solutio ex dictis in prima probatione, concessa enim Majori, Minor neganda est: cum enim ista verba, *absolvo te*, in administratione Sacramenti penitentiae, proferantur circa penitentem, confitentem peccata sua, habent ex illa circumstantia quod potius significant absolutionem à peccatis, quam à censuris.

§. III.

Corollaria praecedentis doctrinae.

10. **E**x dictis confutata manet quorundam Recentiorum sententia, qui asserunt verba ista, *a peccatis*, non esse quidem de essentia formae Sacramenti penitentiae, esse tamen de integritate illius: Sicut (inquiunt) in consecratione calicis, verba ista, *Novi & aeterni testamenti &c.* non sunt de essentia, sed de integritate formae. Patet, inquam, ex dictis falsitas huius sententiae, & disparitas ad exemplum adductum; quia in forma absolutionis ista particula, *a peccatis*, nihil significant, quod non significetur implicitè per verba praecedentia, *absolvo te*, ut supra ostensum est, at verò in consecratione calicis verba ista, *Novi & aeterni testamenti &c.* qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, aliquid significant, quod non significant etiam implicitè verba praecedentia; si enim sanguis Christi esset novi Testamenti, si non, si effusus esset pro omnibus, vel non effusus, revera esset significatio eadem priorum verborum: *Hic est calix sanguinis mei*.

Ex dictis etiam inferitur contra Vaz quem, gratiam sacramentalem, remissivam peccatorum, produci in instanti extrinsecè terminativo prolationis horum verborum, *absolvo te*, quamvis ad perfectiorem significationem formae, addat Sacerdos verba sequentia, *a peccatis tuis*. Patet ex dictis, Sacramenta enim causant gratiam, quando significatio essentialis jam est completa: Sed ante illa verba, *a peccatis tuis*, significatio essentialis absolutionis sacramentalis est completa, quia completur illis duobus verbis, *absolvo te*, ut supra ostensum est: Ergo &c.

Inferitur etiam, male dixisse Abulensem i. parte sui defensorii cap. 6. improprie in forma absolutionis usurpari verbum *absolvo*, quod, inquit, peccata non sint vincula quae solvantur, sed injuria & offensae quae remittantur: unde non dixit Christus: *Quorum solveritis, sed quorum remiseritis peccata*. Verum hoc fundamentum ruinofum est, tum quia in Scriptura peccata appellantur vincula, Proverb. 3. *Iniquitates tuae capiunt impium, & funibus peccatorum quaeque constringitur*. tum etiam quia ipse Christus usus est verbo *absolvo* Matth. 16. ubi claves promisit Petro his verbis: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis*. Addo quod hoc verbum remitto, est solum expressivum clavis remissivae peccatorum, verbum autem *absolvo*, aptum est ad designandum solutionem utriusque vinculi, peccati scilicet & censurae, unde convenientius in forma Sacramenti penitentiae ponitur.

Demum ex dictis inferitur, quod cum sola mutatio essentialis reddat Sacramentum invalidum, & de essentia formae Sacramenti penitentiae tantum sit ut per modum actus judicialis proferatur, quibuscumque verbis quae judicialem sententiam expriment, utatur Sacerdos in forma absolutionis, Sacramentum erit validum; unde si sacerdos diceret, *remitto tibi peccata tua*, vel *delicta tua tibi condono*, vel *absolvatur Petrus a peccatis*, valeret Sacramentum; sicut & si forma proferretur sub conditione, puta *si non es absolvus, ego te absolvo*; quae tamen conditio, & aliae similes non debent adhiberi, etiam mentaliter, nisi ob rationabilem causam.

Notat verò Cajetanus in Summa, absolutionem datam in plurali, honoris causa, validam esse, peccare tamen sacerdotem qui illa utitur, recedendo à communi forma Ecclesiae. Advertit etiam Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 11. posse sacerdotem unicà absolutione absolvere multos, in casu naufragii, & imminente periculo mortis, sicut una ablutione baptizari possunt multi.

Hoc tamen negat Summa Tabiena, verbo *Absolutio* i. num. 8.

ARTICULUS II.

An forma absolutionis deprecatoriæ prolata, valida sit?

Partem affirmativam tenere olim quidam antiqui Theologi, ut Alensis, D. Bonaventura, Mayronis, & alius Author, quem refert & impugnat D. Thomas opusc. 22. ejus sententiam appellans temerariam & presumptuosam, ne dicam (inquit) erroneam. Acriori censurâ eam notant Vazquez, Amicus, & alii Recentiores, eam enim absolute erroneam appellare non dubitant, cum evidenti discursu (inquiunt) colligatur esse contra Tridentinum. Hanc tamen sententiam firè extinctam & sepultam, ac oblivioni traditam, de novo suscitavit duo nuper Doctores, Joannes Morinus, & Joannes Launoyus, quos ex nostris egregie ac eruditè refellunt P. Boronius parte 2. Theologia moralis disp. 2. sect. 3. art. 5. & P. Nicolai 3. p. quaest. 84. art. 3. ad marginem.

S. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur, absolutionem, ad modum precationis expressam, non esse validam.

Probatur primò argumento desumpto ex Scriptura sacra, nam ut observat S. Thomas opusculo citato: In Sacramento poenitentiae verba Scripturae non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis ipsa verbo indicativo utitur: non enim dicit, Quaecunque petieris esse solvenda, erunt soluta; sed quaecunque solveris &c. Si ergo illas antè dicuntur esse soluta quæ habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit: miror quâ temeritate aliquis asserat esse solum quæ habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.

Probatur secundo ex Tridentino sess. 14. cap. 3. ubi ait, poenitentia formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. Subindèque censet non perfici Sacramentum antequam verba illa à sacerdote proferantur: At si forma absolutionis deprecatoriæ prolata, valida esset, antequam verba illa, Ego te absolvo, à sacerdote proferrentur, perficeretur Sacramentum poenitentiae: Ergo ex Tridentino forma absolutionis deprecatoriæ prolata, valida non est. Major patet, sequela verò Minoris sic ostenditur. Tunc primum Sacramentum poenitentiae perficitur, cum primum sufficiens forma proferatur super peccata confessa: Sed antequam sacerdos verba ista, Ego absolvo te, &c. pronuntiaret, proferret sufficientem formam super peccata confessa, nimirum ista verba, Dominus noster Iesus Christus per suam piissimam misericordiam te absolvat, & ista: Absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus: Si enim forma absolutionis deprecatoriæ prolata, valida sit; verba illa non possunt non esse sufficiens forma Sacramenti poenitentiae, cum in illis fiat expressa precatio pro absolutione & remissione peccatorum, & verba illa solum differant in modo deprecativo & optativo, ab istis, Absolvo te, quæ sunt in modo indicativo: Ergo si forma absolutionis deprecatoriæ prolata, valida esset, antequam sa-

Acerdos proferret hæc verba, Absolvo te, poenitentia sacramentum perficeretur, & gratia peccatorum remissiva conferretur, ut concedit ipsa Alensis, 4. p. quaest. 21. membro 1. ubi hæc sententia forma absolutionis præmittitur oratio per modum indicativum, quia deprecatio orationem imperat, absolutio gratiam supponit. Unde juxta hunc Auctorem, sacerdos per hæc verba, Ego te absolvo, poenitentem à peccatis verè non absolvo, sed solum illum jam esse ab illis absolutum declaro, quod aperte repugnat Tridentino sess. 14. can. 9. dicente: Si quis dixerit, absolutionem Sacramento Sacerdotis (quam in illis verbis Absolvo te solum esse, ibidem cap. 3. docet) non esse aliam salutem, sed nudum ministerium pronuntiantem declarandi remissa esse peccata, &c. anathema sit. Quare non immeritò Vazquez & Amicus supra relati dicunt Adversarios sententiam profusè erroneam, cum evidenti discursu colligatur esse contra Tridentinum.

Probatur tertio conclusio ratione quædam Tridentinam eadem sessione 14. cap. 4. infusa, cum ibidem ait quod absolutio sacramentalis est ad instar judicialis actus: quem Sacerdos exercet, vel quo ab ipso velut à judice sententia pronuntietur, At qui sententia Judicis deprecatoriæ exprimitur non debet, sed indicativè, vel imperativè, ut constituitur iudicis humanis & civilibus: Ergo nec absolutio sacramentalis.

Confirmatur: Absolutio est actus auctoritatem exercentis, deprecatio est contra est actus supplicantis; unde qui supplicat, ostendit se potestatem absolventi non habere, sed ab alio gratiam absolutionis expetere: igitur forma deprecatoria pugnat cum absolutiva.

Denique suaderi potest conclusio indicatione facta per omnia Sacramenta, constat enim ex illa perpetuo Ecclesiæ, omnium formam absolutam esse & indicativam, exceptâ formâ Extremæ Unctionis, quæ debet esse per modum orationis, tum quia Jacobi 5. de illa dicitur, Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & in peccatis sit, remittentur eis. Tum etiam, quia ait D. Thomas opusculo citato cap. 1. in hoc Sacramento, præter salutem animæ, petitur salus corporis, & quia non semper expedit, ut hæc conferatur, præcatio adhibetur. In hoc verò & aliis sacramentis confertur aliquid spirituale, quod semper expedit conferri; unde non debet forma sacramenti poenitentiae, nec aliorum sacramentorum, exceptâ formâ Extremæ Unctionis, ad modum precationis exprimi.

Addo ex S. Thoma in calce capitis 3. ejusdem opusculi, periculosè solum orationem poenitentiae Sacramento adjungi, quia qui precatur tantum veniam, non confert illam infallibiliter, sed dubiam relinquit: oratio enim ut quis absolvetur, promiscuè fieri potest, sive is de peccatis contritus sit, sive peccatis adhuc adhæreat.

S. II.

Solvuntur objectiones.

Adversariorum objectiones levissimæ sunt, nec sudore indigent ut solvantur. In prima enim vanum est quod illi opponunt, nimirum Græcos non nisi deprecative absolvere: hoc enim falsum esse patet ex Græcorum Eucharistia, quod

Pater Godefridus, Ordinis Prædicatorum, Congregationis sancti Ludovici, quoniam partibus Orientalibus, propagandæ fidei causâ, diu commoratus est, nuper edidit in eo quidem præmittunt verba hæc precatoria: Dominus noster Iesus Christus & Deus, qui mandatum ligandi & solvendi peccata Discipulis tradidit, præterea (παρὰ) omnia peccata tua. Sed orationem hæc consequuntur verba: Ego vero indignus ejus servus absolvo te à peccatis tuis (ἀπολύω σε ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν σου). Item: Dominus iustus qui propter nos carnem assumpsit, & universi orbis peccatum tollit, delicta tua deleat: Ego vero condono tibi omnia peccata tua.

Idem constat ex Arcudio, qui de formis absolvendi Græcorum accuratè & fuscè disputat lib. 4. de Sacramentis cap. 3. ubi nullam refert, in qua non sit aliqua propositio, quæ auctoritatem sententiæ judicialis præ se ferat: licet ante & post orationes aliquas habeat adjunctas, quemadmodum habet forma consuetæ Latine Ecclesiæ, Nam in omnibus dicitur, ἔχω σε λυγμένον, ἔχω σε συζητημένον, id est, Habeo te absolutum. Habeo te veniā donatum. aut quid simile: quod phrasi Græcæ quæ valet istis, Ego te absolvo, Ego te dono veniā, ut idem Arcudius capite citato rectè ostendit.

Non minis frivolum est quod ex Mairone addunt Adversarii, non esse inconveniens deprecativè absolvere, sicut & Græci deprecativè baptismum conferunt, cum dicunt, baptizetur servus Christi. Hæc enim Maironis hallucinatio exlingua Græcæ imperitia provenit, cum Græci dicant βαπτίζεσαι, quod non idem sonat ac baptizetur, sed significat baptizatur, ut rectè observavit P. Nicolai 3. p. quæst. 60. art. 8. & quæst. 66. art. 5.

Non valet etiam exemplum quod adducunt de absolutione judiciali seu canonica, ad quam nulla verborum forma præscripta est. Nam ut rectè ait S. Thomas opusculo citato: Alia oratio est de absolutione ab excommunicatione, quæ non est sacramentalis, sed magis judicialis, jurisdictionem consequens, & alia de absolutione à peccatis in Sacramento Penitentiae, quæ consequitur potestatem clavium & est sacramentalis. In illa enim (nempe absolutione judiciali) verba efficaciam habent ab intentione dicentis, unde non refert quibus quinque verbis utatur, ad exprimendam suam intentionem: in Sacramento autem verba efficaciam habent ex institutione divina: Vnde tenenda sunt verba determinata, consonantia divinæ institutioni: Institutionem autem dicentem Quodcumque solveris &c. hæc verba conveniunt, Ego absolvo te, ac propterea tenenda sunt.

Quod verò dicitur in Canone Multiplex de Penit. dist. 1. nempe indulgentiam Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse, quod ex Epistola 99. Leonis Papæ desumptum est, intelligendum est de deprecatione quæ præmittitur absolutioni Sacramentali, ut interpretatur D. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 2. Pontifex enim Sacramentum Penitentiae supplicationes appellat, ab oratione deprecativa quæ absolutioni præmittitur. Neque enim novum est, ut Sacramenta à ritibus accidentalibus nomina sortiantur, ut patet in ipso Penitentiae Sacramento, quod manuum impositio dicitur, quamvis hæc non sit de necessitate Sacramenti, ut disputatione 1. ostensum est. Vel secundò dici potest, absolutionem Sacerdotis ideo solum à D. Leone, aliisque Patribus, orationem Sacerdotis appellari, quia cum profertur in fide promissionis Christi, continet virtualiter vim & rationem orationis, cum quo stat quod non sit formaliter deprecatio, Eodem modo

quod non sit formaliter deprecatio. Eodem modo explicari debent verba illa Nicolai Cabasilæ liturgicæ expositionis cap. 29. Peccatorum quoque remissio penitentibus datur per orationem Sacerdotum: cum certum sit Sacerdotes Græcos in forma absolutionis Sacramentalis adhibere verba indicativa, in quibus præcipuam vim absolutionis reponunt, ut constat ex verbis Eucharologii Græcorum supra relatis.

Demum quod obijciunt, nimirum quod sicut Apostoli ad sanandos infirmos non utebantur formâ indicativâ, dicendo, Ego te sano, sed deprecativâ dicendo, sanet te Christus, ita nec ad absolvendos peccatores alia verba quam deprecatoria adhibere debebant, solvitur à D. Thoma art. citato in resp. ad 4. ubi sic ait: Apostoli non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter sive ministerialiter in Sacramentis. Et ideo magis possunt in formis Sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmorum, in quibus tamen non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicativo & imperativo: sicut Act. 3. legitur quod Petrus dixit claudo: In nomine Jesu Christi Nazareni, surge & Ambula.

Dices, Quamvis Apostolis data fuerit potestas absolvendi à peccatis, illa tamen non erat principalis & auctoritativa, sed ministerialis tantum & instrumentaria: Atqui modus indicativus, vel etiam imperativus, significat facultatem operandi principalem & auctoritativam, ut patet in Principibus & Regibus, qui se per indicativè vel imperativè loquuntur: Ergo conveniens non est, quod Apostoli, seu eorum in Sacerdotio successores, in absolutione Sacramentali utantur verbis indicativis, sed tantum deprecativis.

Respondeo quod modus indicativus, vel etiam imperativus, significat quidem potestatem operandi auctoritativam, sed non semper principalem in judiciis, ut patet in iudicibus subalternis, qui licet non habeant supremam, sed ministerialem tantum judicandi potestatem, dum tamen condemnationis, vel absolutionis sententiam proferunt, semper loquuntur indicativo modo, vel etiam aliquando imperativo, sed nunquam deprecativo, quia modus deprecatorius in materia iudicii, significat solum potestatem moralem intercedendi apud iudicem, sed non potestatem judicandi & operandi, etiam ministerialem.

ARTICULUS III.

An Sacerdos per hæc verba, Ego te absolvo, verè penitentem absolvat à peccatis?

Partem negantem tenent non solum illi Auctores qui docent, formam absolutionis deprecatoriè prolata, validam esse, sed etiam illi qui existimant, Sacramentum penitentiae requirere constitutionem ut materiam; unde dicunt per formam hujus Sacramenti, non significari quod remittantur peccata. Verum in explicando quid significant hæc verba, Ego te absolvo, ita inter se dissident ut se de tot sint sententiæ, quot capita, M. g. ster enim sententiariū, ait horum verborum sensum esse, ego te ostendo & declaro absolutum à peccatis; sicut quando Christus dixit Magdalene, Remittuntur tibi peccata; hæc enim verba cum fuerint bis à Christo prolata,

secundā saltem vice, hunc reddebant sensum, de-
claro peccata tua tibi esse remissa. Alii dicunt,
sensum horum verborum, Ego te absolvo, hunc
esse: Ego eximo te ab obligatione subiiciendi
peccata tua clavibus Ecclesiæ. Ita Gabriel, &
plures ex Nominalibus. Alii hunc sensum dant
verbis absolutionis, Ego remitto tibi poenā
temporalem peccatis tuis debitam. Ita Alensis
& S. Bonaventura. Hugō verò à S. Victore doc-
et sensum esse, absolvo te, id est remitto tibi
poenā æternam pro culpa debitam. Tandem
Medina, Codice de Poenitentia, asserit per con-
tritionem liberari peccatorem à culpa & poenā
æterna, non tamen ab exilio patriæ celestis,
quam aperit Sacerdos, quatenus habet claves re-
gni coelorum; subinde quæ hæc verba, Absolvo te,
reddere hunc sensum, Aperio janui in regni coelo-
rum. Pro declaratione veræ & Catholicæ sen-
tentie.

31. Dico breviter, Sacerdotem per hæc verba,
Ego te absolvo, verè poenitentem absolvere à cul-
pa, & reatu poenæ æternæ, & non solum illum
a peccatis absolutum declarare.

32. Probatur primò ex Tridentino sess. 14. can. 9.
ubique dicitur: Si quis dixerit, absolutionem Sa-
cramentalem non esse actum judicalem, sed nudum
ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse
peccata confitentis, &c. anathema sit. Item, cap. 3.
sic ait: Res & effectus hujus Sacramenti, quantum
ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est
cum Deo. Nec dici potest, Concilium id asserere
de hoc Sacramento ratione contritionis, quæ est
pars materialis illud constituens, non verò ra-
tione absolutionis quæ est ejus forma. Non va-
let, inquam, hæc responsio, tum quia ex eodem
Tridentino suprà disp. 7. ostendimus, solam
attritionem sufficere ad constituendum hoc Sa-
cramentum. Tum etiam, quia idem Concilium
ibidem initio capituli ait, præcipuam vim hujus
Sacramenti sitam esse in forma absolutionis, quæ
in illis verbis, Ego te absolvo, posita est.

33. Probatur secundo ex D. Thoma opusc. 22.
cap. 1. ubi sic ait: Patet ex dictis Salvatoris, quod
hæbens claves absolvit: presumptuosum ergo est, ne
dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit, Ego
absolvo te, quem Dominus absolvere constituitur. Et
in exemplum asserit quod Apostolus ait 2. ad
Corinth. 2. Se donasse peccatum in persona Christi,
quasi dicat secundum Glossam, se absolvisse à pec-
cato. Et mox: Non est etiam parva autoritas ejus
quod in Ecclesia canitur: Jam bone Pastor Petre-
lemens accipe vota precantum, & peccati vin-
cula resolvet tibi potestate tradita. Potestas autem
tradita Petro est potestas clavium: potest ergo hæbens
claves dicere, Ego te absolvo. Nec hoc solum con-
veniente dicere potest, sed & necessarium esse videtur,
quia Sacramenta novæ legis efficiunt id quod figurant.
Quibus ultimis verbis rationem fundamen-
talem nostræ conclusionis insinuat, quæ sic potest
breviter proponi. Sacramenta novæ legis effi-
ciunt quod significant, hæc enim est præcipua
differentia, quam Florentinum assignat inter
hæc & vetera, quod illa gratiam non causabant,
sed eam solum per passionem Christi dandam
figurabant; hæc verò & continent, & digne
suscipientibus conferunt; Atqui Sacramentum
poenitentiae habet præcipuè ratione formæ quod
significet remissionem peccatorum: Ergo præ-
cipuè ratione formæ eam confert; subindeque
Sacerdos per hæc verba, Ego te absolvo, verè poe-
nitentem absolvit à peccatis.

A Confirmatur: Ideo Baptismus causat gratiam
ablutivam à sordibus peccatorum, quia hæc ve-
ba formæ hujus Sacramenti, Ego te baptizo, vo-
lem gratiam significant; Sed verba illa, Ego ab-
solvo te, non minus clare gratiam remissionem pec-
catorum designant; Ergo pariter illam sufficit
ter dispositis conferunt.

Confirmatur ampliùs: si Sacerdotes novæ le-
gis non verè absolverent à peccatis, sed solum
poenitentem absolutum declararent, non asse-
rent à Sacerdotibus legalibus; isti enim habebant
potestatem discernendi lepram à non lepra, &
declarandi quinam verè essent aut non essent le-
prosi: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illi. Mi-
nor patet ex Chrysostomo lib. 3. de Sacramen-
tis cap. 6. ubi sic ait: Corporis lepram purgare, non
verius dicam, ne purgare quidem, sed purgatum
ostendere, Iudeorum Sacerdotibus licet. At verus
Sacerdos, non corporis lepram, sed animæ le-
prodes, non dico purgatus probare, sed purgare pro-
batum concessum est. Adde cum D. Thomas 4. dist.
quæst. 1. art. 3. quæstionem. ad 1. quod proprie-
tatem oportet loqui de Sacramento & purgati-
onis ministrum: Ergo si Sacramenta novæ legis
differt à veteribus per causalitatem effectivam, per
eamdem differunt ministri Evangelici à legali-
bus.

Ex his impugnati manent omnes modi quibus
Auctores suprà relati docent Sacerdotem ab-
solvere à peccatis. Constat enim in primis, sen-
sum horum verborum, Absolvo te, non esse, ego
te ostendo seu declaro absolutum à peccatis. Con-
staret Sacerdotes (ut jam ostensum est) non solum de-
clararent poenitentibus peccata ipsorum remissa es-
se à Deo tanquam auctore & causa principii
gratiæ, sed etiam velut Dei ministri & instrumeta
ipso absolvant, & gratiam peccatorum remissi-
onem remissionem conferant. Unde Richardus
Victore libro de Potestate ligandi & solvendi
cap. 21. hanc explicationem desiderans & fugi-
lans, sic ait: Extat quorundam sententia tam pro-
vola, ut ridenda potius quam refellenda videatur. Et
tunc dicit: Sacerdotes non habere potestatem solvendi,
sed ostendendi solutos: Sed nunquid Dominus dicit,
Quod solutum ostenderitis, erit solutum? Dicunt Sa-
cerdotes non habere potestatem remittendi peccata cum
Dominus hoc dicit, & dicunt habere potestatem ostendendi
remissa, cum Dominus hoc non dicit.

Dices: D. Hieronymus suprà illud Matthæi
12. Tibi dabo claves regni coelorum, hæc scribit:
Hunc locum quidam non intelligentes, etiam servantes
de supercilio Pharisæorum, ut damnare innoxios vel
solvere se putent voros, cum apud Deum non senten-
tia Sacerdotum, sed eorum vita quærat. In Levitico
se ostendere Sacerdotibus jubentur leprosi, quos alii
faciunt leprosus vel mundos, sed discernunt qui mundi
vel immundi sunt. Quibus verbis videtur Sacerdo-
tes Evangelicos legalibus æquiparare in hoc quod
sicut illi non mundabant leprosus, sed eos mun-
dos esse judicabant: ita Sacerdotes Evangelici
non justificant peccatores, nec eos mundant, sed
eos mundos esse ostendunt: Ergo sensus formæ
absolutionis est præcisè, Ego declaro te esse
absolutum, & à peccatis mundatum. Idque con-
firmari potest exemplo Lazari, qui postquam à
Christo resuscitatus, & postea à Discipulis vin-
culis solutus. Ex quo colligit Augustinus pecca-
torem prius à Deo intus per gratiam vivificari,
quam à Sacerdote à vinculis absolvi.

Repon-

38. Respondeo Hieronymum comparare Sacer-
do. Es Evangelicos legalibus, non in eo quod sicut
legales non mundabant, sed tantum mundatos
declabant, sed in eo solum quod sicut legales
non poterant suo arbitrio discernere inter lepra
& lepram, sed solum iuxta merita causa, ita
neque Sacerdotes Evangelici iudicare debent aut
possunt de peccatis, iuxta suum beneplacitum;
ita ut possint damnare innoxium, vel absolvere
pravum sed iuxta uniuscuiusque dispositionem.

39. Ad confirmationem respondet divus Thomas
opus 22. cap. 2. comparationem illam peccatoris
cum Lazaro, morale esse, non literalem, sub-
indeque ex illa nullum firmum argumentum
posse deduci Augustinus vero, & alii SS. Patres,
qui dicunt peccatorem prius à Deo vivificari per
gratiam quam à Sacerdote absolvari, explican-
di sunt, non de perfecta vivificatione per gratiam
sanctificantem, sed de imperfecta per gratiam
excitantem, quæ inchoat vitam animæ per actum
aliquem supernaturalem, ad quem movet & ex-
citat peccatorem. Vel dici potest, quod SS. illi
Patres solum voluerint, quod Deus si interdum
peccatorem prævenit, ut per contritionem cha-
ritate perfectam, ante Sacramenti susceptionem,
plane vivificetur.

40. Sequitur secundò ex dictis, sensum horum
verborum, *absolvite*, non esse illum quem sin-
gunt Gabriel & Nominales, nimirum Ego exi-
mo te ab obligatione subiiciendi peccata tua cla-
vibus Ecclesiæ: remittere enim obligationem
confitendi peccatum, non est propriè remitte-
re peccatum ipsum. Adde quod hæc interpreta-
tio non habet locum, quando quis absolvitur à
solis venialibus, vel à mortalibus semel confes-
sis; siquidem etiam ante absolutionem erat po-
nitens liber ab obligatione talia peccata confiten-
di. Item qui absolvitur indirectè tantum à re-
servatis, non liberatur ab obligatione confiten-
di illa superiori. Ergo falsa est illa interpretatio.

41. Sequitur tertio hæc verba, *Absolve te*, non ha-
bere sensum illum quem Alensis, & D. Bona-
ventura ipsi attribuerunt, nempe remitto tibi po-
enam temporalem peccatis tuis debitam, tum
quia remittere poenam temporalem non est pro-
priè remittere peccatum ipsum; tum etiam, quia
fieri potest, ut quis cum tanta contritione acce-
dat ad Sacramenti poenitentiam, ut ex vitalis
contritionis remittatur ipsi tota poena etiam tem-
poralis, atque adeo non semper verificetur for-
ma Sacramenti poenitentiam.

42. Sequitur quarto, non valere modum ex-
plicandi Hugonis à S. Victore, asserentis hæc verba,
Absolve te, significare remitto tibi poenam æter-
nam pro culpa debitam. Nam hæc explicatio
verba Christi & formæ absolutionis detorquet
in sensum improprium, etenim poena non est
peccatum, licet ex peccato orta sit unde remittere
peccata, & absolvere à peccatis, verè, & propriè,
non est remittere tantum poenam, ut supra dice-
bamus. Præterea, poena æterna simul cum culpa
remittitur, & per consequens, si ante absolutio-
nem culpa remissa est ut vult ille Author, etiam
poena æterna fuit condonata, vel in temporalem
commutata. Adde quod, habens solum peccata
venialia, verè absolvitur, & tamen ipsi non re-
mittitur poena æterna, cum illa peccatis veniali-
bus non sit debita. Ex quo etiam confutatus ma-
net modus dicendi Joannis Medinæ, peccata
enim venialia à regno cælesti non excludunt. Er-
go quando aliquis ab illis absolvitur, verba ab-

A solutionis hunc sensum efficere nequeunt: Ego
aperio tibi januam regni cælorum.

Verus ergo sensus h. rum verborum, *Ego ab-*
solve te, est ille quem assignat S. Thomas 3. part.
quæst. 84. art. 3. ad 5. ubi rejecto modo explican-
di Magistri sententiarum subdit: *Esset autem per-*
fectior explicatio: Ego te absolvo, id est Sacramentum
absolutionis tibi impendo. Quorum verborum sen-
sus non est, ut falso exilluminant aliqui, Ego tibi
confero, vel applico Sacramentum absolutionis,
esset enim explicatio frivola & nugatoria, quia
idem per idem significaretur, sed iste quem adducit
Cajetanus: Quantum est ex me verè te absolvo
à vinculis, & peccata tibi remitto, seu tibi con-

B fero Sacramentum absolutionis à peccatis, &
collatum gratiæ remissivæ. Unde in Sacramen-
to informi, in quo propter indispositionem po-
nitentis Sacramentum non confert gratiam, ve-
rificatur hæc forma; non quia re ipsa detur gra-
tia, sed quia Sacramentum, quantum ex parte
sua, est gratiæ causativum, & ex vi & effica-
cia verborum eam causare intendit, licet per ac-
cidents non detur. Est exemplum in Sacramento
Ordinis, cuius forma ab Episcopo sic præfertur:
Accipe spiritum sanctum &c. hæc enim verba ve-
rum habent, etiam dum ordinatus est in statu pec-
cati mortalis, quia faciunt hunc sensum, impen-
do tibi, quantum est ex me, Spiritum sanctum;
cum quo tamen itat, non dari gratiam Spiritus
Sancti habenti obicem. Similiter verificatur hæc
forma, quando poenitens iustificatus ad hoc Sa-
cramentum accedit, nam in tali casu accipit ma-
jorem gratiam per modum remissivæ, licet actu
non remittat peccata; sicut qui accipit per ac-
cidents primam gratiam in Eucharistia, accipit il-
lam per modum nutritivæ.

Ex quibus intelliges, licitum esse de iisdem
peccatis, validè confessis & remissis, novam pe-
tere absolutionem Sacramentalem, modò novà
confessione, & novà contritione, vel attritione,
subiciantur clavibus Ecclesiæ; quia peccata,
etiam validè confessa & remissa novà confessio-
ne & dolore informata, novam præbent mate-
riam proximam, ut cum nova absolutione no-
vum Sacramentum efficere valeant, sicut eadem
aqua quæ est materia remota Baptismi, pluribus
absolutionibus super diversas personas applicata,
fit proxima materia capax plurium formarum Sa-
cramentalium, abindeque plurium Baptisma-
rum. Vel sicut idem oleum, quod est materia re-
motæ Extremæ Unctionis pluribus unctionibus,
non modò diver. s. infirmis, sed eidem applicata,
fiet proxima materia plurium formarum, ac
proximè Sacramenti Extremæ Unctionis. Adde
quod, quando poenitens de eiusdem peccatis vali-
dè confessis & remissis iterum confitetur, verifi-
catur forma absolutionis; quia tunc Sacramen-
tum est verè absolutivum à peccatis, & verè con-
ferat gratiam remissivam & a peccatis solutivam,
quamvis per accidents poenitens illorum pecca-
torum vinculis non sit ligatus: Ergo licitum est
de iisdem peccatis validè confessis & remissis,
novam petere absolutionem Sacramentalem.
Quod potest confirmari tum ex communi usu &
praxi fidelium, qui sæpè generales confessiones
de peccatis alias confessis facere solent, etiam si
nullum dubium habeant quod priores fuerint in-
validæ. Tum etiam ex Canone, *Quem poenitet*, de
Poenit. dist. 1. ubi sic dicitur: *Unde patet quod quanto*
plurius confitebitur in spe venia turpitudinem crim-
inu, tanto facilius consequetur indulgentiam

misionis. Quibus verbis, non solum approbatur modus confitendi eadem peccata pluribus Sacerdotibus, sed etiam additur causa impulsiva ad id faciendum, quæ est facilior consecutio remissionis peccatorum.

45. Dices, si Sacramentum poenitentiae circa eadem peccata iterari possit, poterit etiam iterari Sacramentum matrimonii circa easdem personas matrimonio iam ligatas, nam sicut per novam confessionem Sacramentalem & dolorem eorundem peccatorum, ponitur nova materia proxima, supra quam cadere potest nova absolutio Sacramentalis; ita per novos actus & consensus conjugum super eadem corpora, ponitur nova materia proxima capax novi Sacramenti matrimonii.

46. Sed nego consequentiam & paritatem; materia enim proxima Sacramenti matrimonii, est prima sui traditio conjugum; prima autem traditio non potest iterari, circa eandem personam; in Sacramento vero poenitentiae materia proxima non est prima confessio & primus dolor de peccatis, sed indifferenter prima vel secunda confessio, & primus vel secundus dolor; unde forma absolutionis non significat determinare primam remissionem peccatorum, sicut matrimonium primam sui traditionem conjugum, sed indifferenter primam vel secundam remissionem, juxta capacitatem subjecti.

ARTICULUS IV.

An absolutio dari possit scripto, & absenti, vel saltem poenitens absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium confiteri?

§. I.

Referuntur Sententiae.

47. In hujus celeberrimae difficultatis resolutione tres reperiuntur Authorum sententiae. Prima affirmat absolutionem impendi posse per litteras, & absenti, subindeque nec esse de essentia sacramentalis absolutionis ut proferatur voce humana, nec quod poenitenti praesenti impendatur. Ita docuere quidam antiqui Theologi, quorum sententiam ferè extinctam & oblitteratam renouarunt & suscitarent in Hispania aliqui ex Patribus Societatis, qui ut refert P. Dufai in Tractatu de Poenitentia, hanc sententiam non solum in privatis suis collegiis, ut Vallisoleti, Salmanticae, Compluti, tanquam veritatem docuerunt, nullam initio adjectam necessitatis aut articuli mortis limitationem, quam postea & frequentes præcipue nostrorum disputationes apposuerunt, verum etiam aliqui ex ipsis eam typis mandarunt, ut Henricus Henriques in sua Summa morali, cujus rei causam prohibitam fuisse donec emendaretur, testatur Joannes Baptista Possevinus, Archyepiscopus Mantuanus lib. de Officiis curati cap. 15. Henricum secutus est Emanuel Sa in suis Aphorismis Antuerpiæ anno 1599. & sequenti Lutetiae editis, ubi sic ait: Non licere absenti per nuntium aut per scriptum confiteri, quidam a jure, ego cum illis sentio, qui & id concedunt, & posse absentem etiam per scriptum absolvi, aut per nuntium. Et rursus: Absolvi posse absentem alii a jure, alii negant. Ego puto posse, cum causa subest, ut si absolvisi quem non poteris, accepta postea absolvendi potestate, si

A commodè non potest vocari ad re, possit absenti absolvere, non solum ab excommunicatione, sed etiam a peccatis. Quod si merito dubitas an id absolventis dispositum, poterit mente addere contritionem, per se positum. Verum Aphorismi illi ab hoc & aliorum, à Magistro sacri Palatii expurgati sunt, cujus correctionis & censura (quam inter ipsos vult fuisse, & ex solo livore Dominicanorum in suos natam) conqueritur Theophilus Raynaudus in dissertatione de Epistolari confessione, qui etiam suadere conatur, sententiam aliam contra Thomistas olim fuisse communem, & tamen ex Facundez, opinionem de licita & valida absolutione absentis impartita, ex familia sancti Dominici oram fuisse, & adoley illa, ac denique in eisdem familiae sinu extinctam atque sepultam esse. Idem asserunt Suarez, Coninck, & alii Societatis scriptores. Verum hanc calumniam repellit P. Baronius tomo 1. Theologiae moralis disp. 1. sect. 4. art. ultimo, ubi ostendit, nullum Thomistarum clare asseruisse, integrum Sacramentum licite & valide confici inter absentes, cum S. Thomas in 4. dist. 16. quaest. 4. art. 4. aperte docuerit, nullam esse confessionem sacramentalem absenti factam, quia aliter sententia est in extrema necessitate confiteri. Laniæ sententia, quod Sacerdoti absenti. Si qui ergo Thomistarum alligant, poenitentem absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium confellum, valide ab illo potest absolvi, solum volunt, quod ubi poenitens per litteras misit peccata sua absenti Confessio, postea in praesentia ejus dicat, quod de omnibus illis se accusat, potest ab eo praesente valide absolvi, quia tunc fit Confessio in praesentia Sacerdotis, cum idem sit scriptum illud ratificare in praesentia Sacerdotis, ac illi praesenti confiteri. Unde merito citantur praesentia jam adducta replicata, vel pro illa quam amplectuntur Suarez, Vazquez, Toléus, Amicus, Bonacina, & alii Recentiores, existimantes quod quamvis absolutionem non possit poenitens absenti per scriptum vel nuntium impendi, posse tamen poenitentem, qui per litteras vel nuntium absenti Sacerdoti confessus est, ab eo postea praesente, nulla alia peccatorum confessione intercedente, absolvi. Tertia ergo sententia, quæ in schola D. Thome communis est, negat tam absolutionem quam Confessionem fieri posse absenti, subindeque poenitentem absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium confellum, non posse ab eo praesente postea sine nova Confessione valide absolvi.

§. II.

Per sententiam tribus sequentibus concipiuntur statuta.

Dico primò, de essentia absolutionis esse, ut voce humana proferatur, subindeque absolutionem in scriptis datam, esse invalidam. Probat primò ex Concilio Florentino & Tridentino asserentibus verba esse formam essentialis Sacramenti, à qua deinde lege excipiuntur solum Sacramentum matrimonii, dicendo inter regulariter tantum verba esse necessaria. Secundo liter verò de forma Sacramenti poenitentiae docuerunt esse verba, quæ Sacerdos proferit dum dicit: Ego te absolvo &c. Ex quibus sic arguo: Vel Concilia loquuntur de verbis proprie dictis, seu de humana prolatis, vel de verbis improprie dictis.

icipiendo verbum pro eo omni quod supplet vicem ipsius, ut sunt natus & scripta? Secundum dici non potest, aliis inmerito a lege universali exceptissent Concilia Sacramentum matrimonii, quia semper in illo requiruntur verba proprie vel improprie dicta: Ergo primum est admittendum; subindeque de essentia absolutionis est ut voce humanâ proferatur.

49. Probatur secundò ex D. Thoma 3. part. quæst. 60. art. 6. ubi docet Sacramenta novæ legis essentialiter constare verbis humanis; ex quo inferunt Theologi contra Scotum, Angelos de via ordinaria non posse ministrare Sacramenta, etiam per corpora assumpta, quia nequeunt in illis humana verba proferre; utpote cum locutio humana sit actio vitalis procedens à principio intrinseco, locutio verò ab Angelis formata in corporibus assumptis, fiat ad ipsos Angelis solum extrinsecè assistentibus huiusmodi corporibus. Sicut ergo forma reliquorum Sacramentorum, solo excepto matrimonio, propriis verbis humanis proferenda est (nemo enim unquam dixit Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, Extremam-Unionem perfici tantum scripto) ita & forma Sacramenti pœnitentiæ. Idque conveniens est, tum ex parte Sacramenti, tum ex parte Ministri, tum ex parte pœnitentis. Ex parte quidem Sacramenti, quia cum sit iudicium quoddam solemne pietatis divinæ quo reus homo absolvitur, debet sententia absolutionis, sicut in aliis iudiciis solemnibus, voce humanâ proferri. Ex parte verò Ministri, quia valde ipsi honorificum est, quod expressis & formalibus verbis peccatorem absolvat, & peccata dimittat. Ex parte demum pœnitentis, quia majorem habet certitudinem suæ justificationis, audiens sub expressis & formalibus verbis latam suæ absolutionis sententiam.

Dico secundò, absolutionem non posse dari absenti. Probatur conclusio ratione fundamentalis, quam insinuat Cajetanus in Summa verbo *Confessio* conditione 11. petiturque ex verbis illis formæ *Absolvito te*, nam particula *te*, vel æquivalens, expressè ad personam præsentem dirigenda est, juxta Christi institutionem; sicut in Eucharistia verba, *Hoc est*, ad materiam præsentem diriguntur: Unde sicut Sacerdos non potest consecrare panem absentem; ita nec pœnitentem absentem Sacramentaliter absolvere.

51. Dices, Pœnitens potest absolvi per hanc formam, *Absolve Petrum*, vel *Absolvatur Petrus*, quæ non necessariò designat præsentiam absolvendi: Ergo ratio videtur inefficax.

Sed contra: Eatenus pœnitens potest absolvi per hanc formam, *Absolve Petrum*, vel *Absolvatur Petrus*, quatenus æquivaleret isti, *Absolvito te*, subindeque quatenus ex circumstantiis intelligitur de Petro personaliter præsentem: Ergo licet pœnitens absolvatur per hanc formam, *Absolve Petrum*, vel *Absolvatur Petrus*, si tamen ille sit absens, solutio erit invalida. Hæc conclusio magis patebit ex dicendis in sequenti.

Dico tertio, pœnitens non potest absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium Sacramentaliter confiteri.

52. Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 2. ubi dicitur, eos qui se crimine aliquo post Baptismum contaminaverint, non jam repetito Baptismo absolvi, sed ante hoc tribunal (pœnitentiæ) tanquam reos se habere, ut per Sacerdotum sententiam, quoties ab admittis peccatis ad

Tom. 1.

A ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Sed ante tribunal sisti, aut confugere ad tribunal, nihil est aliud, nisi præsentem confiteri præsentem, & peccata manifestare per seipsum: Ergo ex Tridentino Christus Dominus instituit ut Confessio fieret præsentem Sacerdoti.

Probatur secundò exemplo leproforum, qui se Sacerdotibus ostendere iussi sunt, ut de lepra purgata judicarent; per hoc enim necessarium esse indicatur, ut pœnitentes coram Confessario Sacerdote se sistant, ac præsentem peccata sua per seipsum declarent, & absolutionem ab illis recipiant. Unde in Decreto dist. 1. de pœnit. cap. *Quem pœnitent* ex cap. 10. libri de vera & falsa pœnitentia, qui inter opera Augustini reperitur, sic dicitur: *Præcepit Dominus mundandis ut ostenderent ora Sacerdotibus* (Lucæ 17.) docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, aut per scriptum manifestanda: *Dixit enim ora monstrare; & omnes, non unus pro omnibus: Non alium statuatis nuntium qui pro vobis offerat munus à Mose statutum; sed qui per vos peccatis, per vos erubescatis; erubescit enim ipsa pars habet remissionis; in hoc enim quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescit vincit timore confessi, sit venia criminis &c.* Quibus verbis aperte docetur, Confessionem soli præsentem Sacerdoti posse fieri. Unde paulò posterius subditur: *Tanta itaque vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo, saepe enim contingit quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desiderat nec locus nec tempus offert; et si ille cui confitetur potestatem solvendi non habeat, sit tamen dignus venia, ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Similia docet S. Thomas supra questione 9. art. 3. ad 3. ubi ait quod in absentia proprii Sacerdotis, etiam potest laico fieri Confessio, & ideo non oportet quod per scriptum fiat. Ex quibus aperte colligitur, nullam esse Confessionem Sacramentalem absenti Sacerdoti factam; si enim illa esset valida, malè consuleret S. Thomas, & Author libri de vera & falsa pœnitentia, in extrema necessitate confiteri potius laico præsentem, quam Sacerdoti absenti.

53. Probatur tertio conclusio ex decreto Clementis VIII. qui cum celebrem istam controversiam, quæ inter Patres Iesuitas & Dominicanos versabatur, & in Hispania præcipue, magno animi ardore & contentione agitabatur, ad suum tribunal advocasset, re attentè & maturè consideratâ, & auditis omnium Ordinum Theologorum, damnavit illam Sacramenti pœnitentiæ administrationem per Epistolam inter absentes, quam nonnullis libris editis Patres Societatis docebant, & quam rumor erat à pluribus illorum usurpari & ad praxim reduci. Emanavit itaque decretum à Pontifice, cujus hæc sunt verba. *Die 20. mensis Junii anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1602. in generali Congregatione S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali, coram Sanctissimo Domino nostro Clemente, divina providentiâ, Papa Octavo. Proposuit à questione utrum liceat per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere? Sanctissimus Dominus noster, auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus maturè ac diligenter consideratâ, hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium*

Kkk

ternuntium

ternuntium Confessario absenti, peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente, absolutionem obtinere; ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam, damnavit, ac prohibuit, praecepitque ne deinceps ista propositio, publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus, doceatur, neve nunquam tantquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputativè tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim, seu directè vel indirectè deduxerit, prae excommunicationem latae sententiae, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit, praequam in articulo mortis, ab alio, quacunque etiam dignitate fulgenti, & S. Romanae Ecclesiae majori Penitentiarario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolventis etiam penae arbitrio insigendis subiaceat.

Adversarii videntes se hoc Pontificis decreto manifestè perstringi, suamque de Epistolari confessione damnari sententiam, ut vim ejus declinarent, duplicem excogitarunt solutionem seu explicationem. Aliqui dixerunt, supradictam de absentis confessione opinionem, ut illicitam quidem, sed non ut invalidam, à Clemente fuisse rejectam, quia nimirum dixit, hanc propositionem à se damnari, licere per litteras absenti confiteri, nec de validitate vel invaliditate quidquam dixit. Alii verò affirmarunt, hoc tantum decreto prohiberi, ne absenti absolutio detur, non prohiberi verò ne absenti confessio fiat; nec damnari confessionem absenti factam, sed duntaxat absolutionem absenti datam. Unde dixerunt, Pontificem non damnavisse utramque partem supradictae propositionis disjunctivam seu divisivam, sed collectivè tantum & conjunctivè. Ita Suarez tomo 4. ad 3. p. disp. 21. sect. 4.

Verum neutra interpretatio potest subsistere. Non quidem prima, nam quod Pontifex Epistolarem confessionem factam absenti, nedum ut illicitam, sed etiam ut invalidam proferbat, & quod non solum vetet ne factum liceat, sed etiam ne factum teneat, declaret, apertè ex his verbis colligitur: Neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur. Si enim confessio facta absenti per epistolam aut internuntium valida esset, esset etiam licita in aliquo casu, urgente nimirum extremà necessitate salutis, quò tempore omnia media valida, sunt licita, id exigente supremo periculo aeternae damnationis; ut si aliter moribundus salutem consequi non valeat, quia nec Sacerdotem praesentem habere potest, nec probabiliter sperat se contritionem habiturum. Unde si validè quis posset confiteri absenti, hoc nullà humanà potestate, etiam Pontifici, prohiberi posset in tali casu, cum dispendio salutis animae: Cum ergo Pontifex strictissime, & sub poena excommunicationis sibi reservata, opinionem illam quae asserit licere absenti per Epistolam vel internuntium confiteri, quovis modo, aut in quocunque casu, ad praxim deducere prohibeat, manifestum est, ipsum censere talem confessionem esse invalidam, & non solum illicitam.

Non valet etiam interpretatio Sparis. Nam ut rectè discurrit Vincentius Candidus tomo 1. disquisitionum, moralium disquisit. 24. art. 27. dubitatione 6. Quando utraque pars propositionis copulativè revocatur in controversiam, si Summus Pontifex damnat propositionem hypotheticam, censetur utramque partem divisivè damnare, ut videmus in propositionibus hypotheticis damna-

A ris in Concilio Tridentino sess. 6. Can. 4. & sess. 13. Canone etiam 4. & 9. & sess. 24. Can. 13. 9. At in praesenti casu non erat tantum controversia de toto copulato, sed etiam de utraque parte copulativè seorsim sumpta, & praeterm de confessione facta per litteras seu internuntium Confessario absenti, ex qua non minora pericula commoda, & scandala oriuntur, quam ex absolutione per litteras poenitenti absenti transmissa. Ergo Pontifex utramque partem supradictae propositionis disjunctivè ac divisivè damnavit, jussu decreto, non solum prohibuit ne absolutio absenti detur, sed etiam confessionem absenti factam damnavit.

Confirmatur: Si Pontifex disjunctivè tantum partes supradictae propositionis hypotheticè damnavisset, neutra pars illius esset determinatè damnata, & consequenter sicut Adversarii volunt quod sit solum damnata ratione secundae partis, ita liceret aliis dicere, quod sit data nata ratione primae partis, & sic utraque pars illius propositionis divisivè sumpta esset probabilis, & aequè liceret Sacerdoti absolutionem transmissam per litteras poenitenti, ac ipsi poenitenti per litteras vel internuntium confiteri Sacerdoti absenti, subindeque totum poenitentiae Sacramentum posset peragi inter absentes. Unde interpretatio illa Summi non solum à Clemente VIII. sed etiam à Paulo V. fuit reprobata, qui insuper iussit ut ex tomo 4. Suarez in 3. p. sectio integra, interpretationem illam continens, amoveretur, ut patet ex decreto facto in generali Inquisitione: & his verbis expresso. Die 14. Julii 1605. proposita causa 7. Fructuosi Suarez lesuista, & consideratis his quae supradicti tomo 4. in 3. partem S. Thomae sess. 4. disp. 21. interpretantur decretum felici recordationis Clementis Papae Octavi die 20. Junii 1602. quo damnata hanc propositionem, videlicet licere per litteras seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere, ac etiam mature discussis his quae idem Suarez adduxit in defensionem suae interpretationis, auditis votis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam ejusdem libri, juxta decreta alias facta à felicis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in alio Officio.

Item in alio decreto ejusdem Congregationis 20. Julii ejusdem anni, sic habetur: Ex libro Fructuosi Suarez lesuista tomo 4. ad 3. p. disp. 21. sect. 12. amoveantur infra scripta verba, videlicet: Atque ex hac resolutione &c. usque in abluenda Confessoris. Idem P. Suarez corrigi suam librorum, & antequam evulget, ostendat huic Congregationi. Et rursus die 18. Augusti ejusdem Congregationis aliud editum fuit decretum hujus renovis. Sanctissimus decrevit ex tomo 4. P. Suarez lesuista in 3. p. S. Thomae disp. 21. de confessione, sectionem quartam, cui titulus est, Utrum de necessitate confessionis sit ut poenitens Sacerdoti absenti immediate, & per seipsum revelet peccata sua? totam esse amovendam, nec aliam ejus loco subrogandam. Ex quibus liquet, interpretationem Patris Suarez non posse subsistere. Unde mirum est quod adhuc ab aliquibus qui ex Patribus Societatis eantantur, ut videtur apud Franciscum Amicum tomo 8. disp. 11. sect. 4. num. 62. ubi hac scribit: Ex his sequitur propositionem Pontificis intelligi conjunctivè, ut non liceat per litteras simul confiteri & absolvi, non disjunctivè, quodam confessionem damnare, &c.

Atque hoc voluit tantum P. Suarez, cum Bullam Clementis explicavit; neque ob aliam causam Pontifex integram sectionem ex apso tomo delendam precepit, nisi quia volebat, ut ipso vivente, ejus Bulla declararetur. Duo certe in hoc Authore reprehensione digna sunt, Unum, quod interpretationem illam Suaris, ter vel quater à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in Congregatione generali Romanæ Inquisitionis reprobata, adhuc post tot prohibitiones usurpare audeat, & ut veram ac legitimam admittat. Alterum, quod asserat non aliam ob causam Clementem VIII. præcepisse integram sectionem ex tomo Suaris avelli, nisi quia volebat ut ipso vivente ejus Bulla declararetur. Nam quod hæc talis præcepti vera & legitima causa non fuerit, ex eo liquet, quod post Clementis VIII. obitum, Paulus V. illius successor, ter idem jussit, triplici decreto supra adducto. Certè sinceriores & cautiores sunt, Delugo, Averfa, & Martinonus, qui ingenue fatentur, interpretationem illam Suaris, à mente Pontificis prorsus esse alienam, & prædictam propositionem, non divisim tantum, sed conjunctim, & quoad utramque partem, fuisse ab illo damnatam.

60. Denum suaderi potest conclusio hoc discursu: In casu quo fieret confessio. Sacramentalis per litteras Sacerdoti absenti, vel ipse Sacerdos lecta confessione proferret voce sensibili absolutionem, vel scriptam mitteret ad penitentem, vel accederet ad penitentem, ipsumque præsentem absolveret? Primum & secundum dici nequeunt, quia ut in prima & secunda conclusione ostendimus, & tætur Suarez, absolutio data in scriptis, vel absenti impensa, invalida est. Si vero tertium dicatur, quæro, an penitens post adventum Sacerdotis, in ejus præsentia ratificat confessionem factam per litteras, & de peccatis per epistolam declaratam petit absolutionem, vel non, sed tantum Sacerdos in præsentia absolvit eum, virtute scripti ad se missi? Si primum, cessat præsens difficultas, & casus de quo disputamus, sit enim tunc confessio in præsentia Sacerdotis, quia idem est scriptum illud ratificare in præsentia Sacerdotis, & absolutionem ab eo petere, ac ipsi confiteri, certi fiant enim tunc Sacerdos in præsentia penitentis de ejus statu. Secundum vero dici nequit, nam si Sacerdos penitentem absolvit in virtute scripti prius ad se missi, nullam scripti ratificationem à penitente exigendo, perinde est ac si illum absolveret in absentia, & eadem sequuntur inconvenientia, quia per talem præsentiam non magis certificatur Sacerdos de statu penitentis, quando proferat absolutionem, quam per scriptum certificabatur, & potest contingere quod penitens mutaverit voluntatem, & careat dolore de peccatis quem habuit antea, sitque tunc in actuali affectu ad homicidium vel fornicationem, subindeque quod Sacerdos supra materiam indebitam proferat absolutionem.

§. III.

Solvuntur objectiones.

61. Obijcies primò Contra primam conclusionem: Non est de essentia Sacramenti penitentiae, ut Confessio voce fiat, seu per locutionem oris vocalem; unde potest fieri nutibus, vel scripto, cum muti ad Confessionem admittantur, quos tanto bono & tali remedio privari non

Tom. V.

est conveniens: Ergo similiter non est de essentia absolutionis, ut voce humana proferatur, sed nutibus vel scripto dari potest.

62. Respondeo, concessio Antecedente; negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est primò, quia in Sacramentis forma debet esse expressior quam materia, unde cum in Sacramento penitentiae absolutio habeat rationem formæ, & Confessio rationem materiæ, nihil mirum si lex & traditio divina, verba exigat ut sua vis absolutioni constet, Confessionem verò patiatur vagam & indeterminatam esse, & verbo, nutibus, scripto, vel per interpretem fieri. Unde Sacramentum penitentiae medium est inter matrimonium & alia Sacramenta; nam cum præcipuè sui parte, nempe absolutione, ad alia Sacramenta accedat, quæ nulla sunt nisi verbo administrentur, Confessio, quæ est pars altera, habens rationem materiæ, similior est Matrimonio, quod non solum verbis, sed etiam scriptis vel nutibus contrahi & peragi potest.

63. Secunda ratio discriminis est, quia plures causæ moraliter impedire possunt penitentem à Confessione vocali, quam Sacerdotem à vocali absolutione; constat enim quod omnes muti, barbari, & ignotæ linguæ homines, verbis nequeunt confiteri, nuda ut scripta, vel nutus, aut interpretem adhibeant, necesse est. Sacerdos verò, cum possit verbis efferre quæ sentit vel judicat, vix ullæ causæ occurrunt, quæ ipsum à vocali formæ prolutione impedire valeant; ideoque rectè à Christo institutum est, ut absolutio non nisi verbis impendi possit, licet Confessio scriptis, & nutibus, vel per interpretem fieri valeat.

64. Obijcies secundò: Absolutio ab excommunicatione, data in scriptis, valida est; Ergo & absolutio à peccatis.

Sed nego consequentiam & paritatem, non enim eadem est ratio de absolutione ab excommunicatione, ac de absolutione à peccatis; sicut enim absolutio ab excommunicatione non requirit certam formam verborum, ita nec verba propriè dicta, quia non operatur ut instrumentum Christi ad effectum supernaturalem, sed ut instrumentum absolventis, qui in absolvendo ab excommunicatione, ut principalis author, ipse sibi instrumentum determinat. Vide quæ supra art. 2. §. 2. ex opusculo 32. D. Thomæ retulimus.

65. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: S. Thomas Cantuariensis absens absolutionem petit à Sede Apostolica, teste Scorio in 4. dist. 17. Et Sanctus Cyprianus libr. 3. Epist. 17. ait quod lapsi per Epistolam reconciliationem ab ipso petierunt: Ergo absolutio absenti data, valida est.

66. Ad exemplum de S. Thoma Cantuariensi respondent aliqui Recentiores, factum illud incertum esse ac dubium, quia Scorius non refert unde historiam illam desumpserit. Verum illi in historia Ecclesiastica parum versati sunt, cum Baronius in Annalibus tomo 12. ad annum 1164. num. 6. illud plenè referat. Unde respondetur quod S. Thomas Cantuariensis, absolutionem Sacramentalem à Sede Apostolica non postulavit, nec eam illi Alexander III. dedit, sed canonicam tantum; propterea quod non satis animosè in Consilio Regis Angliæ jura Ecclesiæ à se defensa fateretur, & se indignum esse Sacerdotio propter hoc ipsum judicaret, ut ex illius ad Pontificem Epistola, & ex Pontificis rescripto manifestum est, sic enim habet: *Sic recolis aliquid*

Kkk ij

com=

commisisse de quo propria te debeat conscientia remordere; quidquid sit, Sacerdoti qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per penitentiam confiteri: Quo facto misericors Dominus, qui multo amplius ad cor respicit, quam ad actus, tibi consueta pietatis sua miseratione dimittet: Et nos de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus, & id ipsum fraternitati tuae auctoritate Apostolica relaxamus. En ut cum ad Sacerdotem ire monet, ac ei confiteri, ut nimirum absolutionem Sacramentalem ab eo recipiat, propter quam solam Confessio fieri solet Sacerdoti: Ergo absolutio Pontificis non fuit Sacramentalis, sed canonica tantum, seu a censuris quas incurrisse videbatur, ob jura Ecclesiae non satis animose defensa. Unde subdit Pontifex, quod à Missarum solemnibus vel celebratione abstinere deinceps non debeat, quod potissimum ad censuram quam sanctus ille Episcopus & Martyr formidabat, absolutionem pertinere videtur.

67. Ad locum Cypriani dico, ex illo potius colligi oppositum, sic enim habet: Si qui infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent praesentiam nostram, quin apud Presbyterum quemcumque praesentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus ceperit, apud Diaconum quoque ex omologesi facere delicti sui possit. Ubi manifestè praesentiam requirit, nec agit de absolutione Sacramentali; alioquin non scriberet, eam in defectum Presbyteri, committi posse Diacono.

68. Objicies quartò: Sacramentum penitentiae institutum est per modum judicii, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. unde absolutio Sacramentalis est quaedam sententia in foro conscientiae data: Sed in judicio forensi iudex absolvere potest absentem: Ergo & in Tribunali penitentiae Sacerdos poterit penitentem absentem à peccatis absolvere.

69. Respondeo, quod licet Sacramentum penitentiae sit institutum per modum judicii, non tamen quoad omnia convenit cum judicio forensi, sed in multis differt ab illo. Primò, quia in tribunalis penitentiae, idem est accusator, testis, & reus, quia est iudicium voluntariè initum. Secundo, quia ipsi reo credendum est in his quae contra vel pro se profert, quia est in favorem ipsius rei institutum. Tertiò, quia in tali iudicio sententia pronuntiari debet sub expressis ac formalibus verbis, quia est expressè significativum justificationis impii. Quartò, quia iudex forensis non absolvit ab intrinseca culpa, quasi statum internum rei vel affectum immutans, sicut Sacerdos absolvit confitentem, ex vi divinae potestatis cujus est administrare. Ex quo fit, quod in judicio forensi iudex absolvere possit absentem, non verò Sacerdos in tribunalis penitentiae.

70. Dices, contingere potest quod Sacerdos habeat certitudinè moralem de statu & dispositione penitentis absentis, quando nimirum Sacerdos & penitens tam parùm ab invicem distant, ut licet unus alterum videre vel audire non possit, propter exiguum tamen spatium loci, quod nuntius impendere debet ut adeat Sacerdotem, moraliter praesumi non potest, penitentem suam voluntatem aut dispositionem in tam brevi tempore mutasse: Ergo tunc poterit Sacerdos penitentem absentem, qui per internum peccata confessus est, Sacramentaliter absolvere.

Respondeo, dato Antecedente, negando Consequentiam, quia ad validitatem sacramenti Penitentiae, non sufficit ut minister certus sit moraliter de dispositione penitentis, sed etiam requiritur, ut sit praesens, ad hoc ut veritatem

A nitentiae, non sufficit ut minister certus sit moraliter de dispositione penitentis, sed etiam requiritur, ut sit praesens, ad hoc ut veritatem

Objicies quintò: Sacramentum Matrimonii inter absentes per procuratorem celebrari potest. Ergo & sacramentum Penitentiae.

Huic argumento dupliciter respondent Thomista: Aliqui negant Antecedens, existimantes matrimonium per procuratorem inter absentes, non esse verum sacramentum, sed tantum civilem contractum; fieri autem sacramentum, quando postea contrahentes praesentes ratificant matrimonium per procuratores contractum. Alii verò, concessio Antecedente, negant consequentiam & paritatem, tum quia, inquit, matrimonium non perficitur certà formi verborum quae requiratur praesentiam contrahentium, bene tamen sacramentum Penitentiae.

B Tum etiam, quia matrimonium importat contractum civilem, qui saepe debet fieri inter abentes, quia bonum Reipublicae quod respicit, id requirit. Quae ratio non currit in sacramento Penitentiae, utpote quod non per se ordinatur ad bonum publicum & temporale, sed ad bonum privatum & spirituale penitentis. Adde hanc inter matrimonium & alia sacramenta esse differentiam, quod ad cetera omnia requiruntur materia & forma physice existentia, dum sacramentum celebratur: ad matrimonium verò sufficit materia & forma moraliter existens, qualis sufficit ad naturam contractus validi. Quemadmodum etiam ad cetera sacramenta requiruntur essentialiter ex parte formae verba propria dicta, & ore prolata; ad matrimonium verò sufficiunt nuntius aut alia signa sufficienter exprimentia consensum internum. Utque solutio probabilis est, quae verò sit probabilior, tractatu de Matrimonio resolvemus.

Objicies sextò contra tertiam conclusionem. Penitens confiteri potest per interpretem: Ergo & per internuntium, aut perepistolam. Unde causà 3. quest. 5. cap. Quidam adulter per penitentiam per scripturam recipienda decernitur.

D Resp. concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem, notabile enim reperitur discrimen inter eum qui confitetur peccata per litteras vel nuntium, & illum qui exponit peccata Sacerdoti per interpretem, ex quo nostra sententia illustrari & confirmari potest. Ille enim qui peccata confitetur per interpretem, signo & nutu actualiter ostendit Sacerdoti quod ipse dicat id quod interpret dicit; at verò quando internuntius refert peccata Sacerdoti, aut litterarum quibus scripta sunt, ab eo absente leguntur; vel penitens si habet merè negativè, vel saltem cum sit abens, signo aut nutu non ostendit se dicere Sacerdoti quod internuntius aut littera dicit: quare licet penitens praesenti Sacerdoti per interpretem confessus; possit validè absolvere non tamen penitentem qui solum per litteras aut internuntium, et absenti manifestavit sua peccata.

E Ad id verò quod additur ex cap. Quidam penitentia adulterae scripto recipienda, dicendum est, vel corruptum esse Gratiani exemplar, & sic corrigendum. Penitentia illi accipienda, id est suscipere innotatam sibi penitentiam debet, ut ab adulterio absolvat, ut appendix ibi notat, & in capitulis Caroli Magni lib. 7. c. 127. exprimitur. Vel de penitentia sacramentali verba illa intelligenda non esse, sed de ea tantum penitentia, quam adultera exhibet marito, ut se fideliorē fore profiteatur.

§. IV.

Solvitur difficile argumentum, de absolutione moribundi, qui in absentia Sacerdotis signa contritionis exhibuit.

74. **P**otest hoc argumentum sic breviter proponi. Moribundus qui ante adventum Sacerdotis ostendit signa poenitentiae, & petit confiteri; ipso verò Sacerdote adveniente, omnem usum rationis amisit, ita ut ipso praesente non possit confiteri, nec ullum signum doloris ostendere; si tamen praesentes fide digni testentur ipsum dedisse signa poenitentiae, & hoc sacramentum reconciliationis postulasse, potest validè, imò & debet absolvi. Ergo in aliquo casu valere potest confessio facta in absentia Sacerdotis. Cōsequenter videtur manifestum, tunc enim Sacerdos non audit confessionem in praesentia, nam petinde est ac si infirmus confessus esset per scriptum vel nuntium. Antecedens verò probatur multipliciter, nempe auctoritate Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum, & Ritualis Romani, jussu Pauli V. editi, ac demum ratione. In primis enim in Concilio Carthagenensi IV. cap. 63. sic habetur: *Is qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat poenitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Deinde in Concilio Arausicano I. Can. 11. sic dicitur: *Subito obmutescens (prout statutum est) baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeterita testimonium aliorum verbis habeat, aut praesentia in suo nutu.* Item Leo Papa Epist. 91. ad Theodorum Forojulensem Episcopum: *Si aliquis (inquit) egritudine ita fuerit aggravatus, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia Sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debent, ut simul & poenitentia & reconciliationis beneficium consequantur.* Demum Paulus V. in suo Rituali sic praescribit: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela egrum deficiat; nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere. Quibus utique vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si constiterit desiderium, siue per se siue per alios ostenderit, absolvendus est.* Ergo juxta Concilia, Pontifices, & SS. Patres, ac Rituale Pauli V. potest & debet Sacerdos absolvere moribundum, qui ipso absente, signa contritionis exhibuit, subindeque in eo casu Confessio moribundi valida est, licet facta sit in absentia Sacerdotis.

75. Ratio etiam id suadet. Nam si talis Confessio esset invalida, vel hoc proveniret ex eo quod non esset expressiva peccatorum in particulari, vel quia fieret aliorum testimonio? Sed ex neutro capite invalida dici potest. Non quidem ex primo, quia ad validitatem Confessionis sufficit expressio peccati in genere, ut docet D. Thomas in 4. dist. 21. quaest. 2. art. 2. de eo, qui recordatur se peccasse, & oblitus est peccati in specie; nam tunc potest & debet confiteri peccatum in genere: Sed Confessio per signa aequivalat Confessione peccatorum in genere; nam per eam poenitens testatur se peccasse, & Confessor novum format judicium quod antea non habebat: Ergo &c. Neque etiam ex secundo, alioquin non possemus

A per interpretem confiteri; Confessio enim moribundi facta Sacerdoti per testem, aequivalat Confessione per interpretem; nam sicut interpret refert peccata confitentis Confessori, ita testis peccata moribundi Sacerdoti: Ergo &c.

Huic argumento respondent aliqui ex nostris 76. Thomistis, negando Antecedens, existimant enim, non posse sacramentaliter absolvi moribundum, qui signa tantum doloris ostendit: Tum quia Confessio (inquiunt) est pars essentialis hujus Sacramenti. Sed qui signa tantum doloris ostendit, non confitetur: Ergo non potest sacramentaliter absolvi. Tum etiam, quia hoc Sacramentum est essentialiter judicium, quod cadere non potest, nisi in rem individualiter notam: Ergo non sufficit Confessio generalis, quā poenitens fatetur se peccasse. Ita Soto, Victoria, Cano, Navarrus, Ledesma, Candidus, & alii, qui ad praedicta testimonia Conciliorum, Pontificum, & SS. Patrum respondent, iis locis non esse mentionem de absolutione Sacramentali à peccatis, sed de remissione poenae publicae peccatoribus ad statum poenitentium admittis vel admittendis adjunctae. Ad Ritale verò Pauli V. responderi Candidus, in eo sermonem esse de infirmo, cui solum vox & loquela deficiat, & a quo nutibus & signis potest Confessarius peccatum aliquod in genere dignoscere, putà quod in peccatu carnis lapsus est, licet peccati hujus speciem minime intelligat.

C Verum haec solutio displicet. Primò quia Concilium Carthagenense loqui de absolutione Sacramentali, constat ex verbis illis quae retulimus. *Et si continuo creditur moriturus, infundatur ori ejus Eucharistia*; haec enim dari non solet, nisi pravià absolutione Sacramentali. Idem patet de Sancto Leone, & agnoscit S. Thomas, part. 4. art. 84. art. 3. ad 2. Nam sanctus ille Pontifex paulò ante verba relata, dicit *Misericordiam Dei ita lapsibus subvenisse humanis, & divinae bonitatis praesidia sic ordinasse erga baptizatos, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Indeque inferit, non esse negandam poenitentiam infirmis petentibus, aut habentibus testimonium quod petierint.

D Secundo, quia D. Thomas opusc. 65. §. de Sacramento Extreme. *Unctionis* aperte docet debere sacramentaliter absolvi infirmum, qui notitiam vel loquelam amisit, antequam Sacerdos veniret ad eum. Verba ejus sunt: *Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum; nihilominus unctionem Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & a peccatis absolvi: unde illi Thomistae qui oppositum docent, tam apertum S. Doctoris testimonium non videntur.* Nec illorum fundamenta urgent: Ad primum enim respondetur quod Confessio facta per signa, est vera Confessio, sicut illa quae fit à mutis per nutus; sicut enim nutus possunt gerere vicem verborum, ita & signa. Ad secundum verò dicatur, ad judicium fori poenitentiae sufficere qualemcumque notitiam qualis à reo hic & nunc haberi potest, nec requiri necessariò cognitionem peccati in specie, sed sufficere notitiam ejus in genere, ut supra ex D. Thoma ostensum est. Hac ergo solutione praetermissa, vel in sua probabilitate relicta.

E Respondeo ad argumentum principale, confesso Antecedente, negando Consequentiam. Nam in nostro casu moribundus quasi per interpretem

pretem confitetur (quod semper licitum est) scilicet per testimonium eorum qui audierunt illum postulantem Confessarium, vel qui signa contritionis in eo viderunt; & alias Confessarius eum habet quasi praesentem moraliter, quia ille est sufficienter praesens, ut certificetur Sacerdos, ipsum non mutasse priorem voluntatem, cum videat illum carere sensu, ab eo tempore quo petivit Confessionem; & sic securè absolvi. At verò in casu Suaris, Confessarius non habet nec habere potest certitudinem moralem, quòd poenitens priorem voluntatem non mutaverit, ut supra ostensum est; quare non potest illum absolvere, nisi ratificet Confessionem quam per litteras vel internuntium fecerat, & de peccatis per litteras, vel internuntium declaratis, se dolere testetur, quod est confiteri Sacerdoti praesenti, ut supra in ultima probatione tertiæ conclusionis declaravimus. Unde licet Clemens VIII. & Paulus V. sententiam Suaris justè damnaverint, eamque ex quarto ejus tomo in 3. partem expungi & amoveri jusserint, ut ex supra dictis patet; rectè tamen postea declararunt, posse & debere Sacerdotem absolvere moribundum qui ipso absente signa contritionis exhibuit in ordine ad claves Ecclesiæ, petendo scilicet Confessorem, dummodo sint fide digni, qui de hoc testimonium perhibeant; talemque casum non comprehendit in supra dicto decreto, quo Clemens VIII. declaravit non licere per litteras vel per internuntium Confessario absenti Sacramentaliter confiteri. Ex quo intelliges, Theophilum Raynundum difficultatem omnino dissimulare & tegeri, atque Lectori illudere, & fucum facere; dum in praedicto de Confessione Epistolari libello, contendit totam de Confessione per Epistolam vel internuntium controversiam, in eo sitam esse, an absolutio Sacramentalis possit impendi moribundo, qui in absentia Confessarii signa contritionis exhibuit. Istud enim probabilissimum est, & decretis dictorum Pontificum omnino consonum. Illud verò omni probabilitate caret, ut Clemens VIII. in Decreto supra adducto declaravit, meritoque Suarem, & alios id asserentes damnavit.

79. Ex dictis confutata manet Jacobi Baii, aliorumque Recentiorum sententia, quæ docent posse absolvi moribundum, quamvis nullum exhibeat signum contritionis & desiderii absolutionis, si vixerit pie, suæque salutis immemor non fuerit; & multò magis, si audiendo sacrum, præmississet Confessionem, quæ solet fieri his qui inserviunt Sacerdoti; quia (inquiunt) præsumptio est ipsum poenitere suorum peccatorum; & hoc sufficit ad recipienda tunc Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ-Unionis. Addunt Clementem VIII. quendam ruentem è fornice templi D. Petri Romæ sic absolvisse.

80. Verum hæc sententia probabilitate caret, cum enim Sacramentum poenitentiae per modum iudicii institutum sit, non potest perfici sine aliqua sui accusatione, quæ est pars essentialis illius, & sine qua Sacerdos in foro poenitentiae juridicè sententiam ferre nequit. Unde non est par ratio de hoc Sacramento, & de Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ-Unionis. Nec sufficit confessio generalis quæ fit ab his qui Missæ inserviunt, vel illi assistunt; talis enim confessio, non est pars Sacramenti poenitentiae, sed solum aliquid Sacramentale, per quod interdum remittuntur peccata venialia, sæpeque contingit, illam fieri sine

A ullo profus dolore de peccatis. Quod verò additur de Clemente VIII. fabulosum est, ut asserit Cardinalis Delago hic disp. 17. num. 3. & postea gentem inquisitionem à viris gravibus & probatibus, qui Romæ tempore Clementis VIII. morabantur.

Addo ad integram & completam resolutionem hujus celebris difficultatis de confessione moribundi, non sufficere ut moribundus possit Sacramentaliter absolvi, quòd ostendit signa contritionis vel doloris quomodocumque, sed requirit insuper quòd Confessorem petierit, & quòd talis dolor aliquo modo ad confessionem referatur, quia non est materia & pars Sacramenti poenitentiae, nisi prout dicit ordinem ad claves Ecclesiæ.

DISPUTATIO XIII.

De satisfactione.

Ad quaestionem 12. Supplementi, & sequentes.

C Satisfactio est ultima pars Sacramenti poenitentiae, prior quidem ordine intentionis ipsa absolutione, sed posterior ordine executionis; unde de illa postremo agimus, & procedenti de absolutione Sacramentali illam insuper agimus, in qua de satisfactione, cum ut est actus virtutis poenitentiae, tum ut est pars Sacramenti breviter differemus.

ARTICULUS I.

An homo possit satisfacere de condigno pro peccatis temporalibus, peccato mortali debita?

D Notandum primum, satisfactionem tribui esse quàm actionem quæ reparatur inaequalitas orta ex injuria alteri illata. In quo distinguitur tum à restitutione, quæ consistit in actione quæ reparatur inaequalitas orta ex re aliena ab invito domino, & à satisfactione, quæ non est actio ipsius poenitentis, sed per se quædam poenæ à principio quodam extrinseco, patet à iudice facta. Unde reus non dicitur propriè satisfacere, cum patitur poenas quas promeruit, sed solum satisfati. Similiter animæ purgatorii poenitentem poenam temporalem ipsorum peccatorum debitam, non propriè satisfaciunt, sed duntaxat satisfaciuntur.

E Notandum secundò, quod offendens Deum per peccatum mortale, duplicem facit inaequalitatem, unam quæ constituit in creatura suam ultimum finem, ex qua incurrit reatum poenæ æternæ; alteram quæ nimis indiget propriæ voluntati, & delectationem inordinatam in fruitione creature percipit; & ex hac incurrit reatum poenæ temporalis: juxta illud Apocal. 18. *Quantum si glorificavit, & in deliciis fuit, tantum dare visitamentum & luctum.* Prima inaequalitas semper tollitur per contritionem vel per attritionem cum Sacramento poenitentiae, non verò secunda; nam remissa culpa per poenitentiam, remanet interdu poena aliqua temporalis luenda; ut contra Lutheranos & Calvinistas docet Tridentinum sess. 14. cap. 8. his verbis: *Sancta Synodus declarat, & facit*